B. N. C.
FIRENZE
1023
37

Digitized by Google

XXVIII
HEKEL
1676

1023. 37

JESU CHRISTI

acerbisſima Paſſio, ignominioſiſ-
ſima Mors, honeſtisſima Sepultura atq; glorioſiſſi-
ma ſalutiferaqve Reſurrectio ex Cap. LIII.

Prophetæ Jeſaiæ

Carmine HEROICO

pro virili delineata.



BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

à

JO. FRIDERICO HEKELIO.

CURIÆ,

Minzelianis Litteris A.CHR. M. DC. XCVI.

JESUS!

ECce meus ſervus, qvo non ſapientior ullus,
Per qvem, qvicqvid habent ſpecioſa volumina Mundi,
Et qvæcunqve tenent perſplendida ſidera Cœli,
Concita ſunt, vivi ſapientia vera Parentis,
Sacra voluntatis divinæ dogmata tradet
Prudenter, ſed in hoc conſurget gloria major
Ipſi, & in aſtriferum veris tolletur Olympum
Laudibus, invictus devicta morte triumfum
Splendidum aget, reſidens clari ſuper æthera Cœli.
Hoc verò nimium multos offendet, egenus
Qvod ſplendore caret mundano, inglorius ævum
Traducetqve ſuum, qvod deſpectiſſimus unus
Inter mortaleis, nec forma probabilis ulli
Illius eſt, merito qvisqvis formidet ut ipſum,
Aſpectuqve virum nemo dignetur honeſto.
Sic tamen ignotas gentes adſperget, Apella
Dum miſer huncce ſibi promiſſum credere non vult
MESSIAM. Aſt alium ſibi ſic conjungere cœtum
Expetit, optatum qvi læto pectore CHRISTUM
Excipiet, partæ per eum qvoqve læta ſalutis
Nuncia ſuſcipiet, fido qvoqve pectore credet,
Promiſſum hunc mundo, proprio qvi ſangvine ab omni
Crimine purgabit peccati mole gravatos,
Placabitqve ſuo funeſtâ morte Parenti.

Hunc nec ridebunt Gentes, Regesqve potentes,
Sed digno excipient omnes reverenter honore,
Ore ſuo clauſo, ſolius juſſa capeſſent,
Obſeqvioqve pio recolent & pectore prompto,
Morigeri optabunt hinc ſe ſubmittere totos.
Hæc eqvidem qvibus eſt nusqvam promiſſio certa
Edita, nec qvicqvam de Christo traditum, habebunt
Notitiam illius, & lætanti pectore credent.
Qviqve adeò Christum nunqvam videre, fideli
Vocem Evangelii de Christo mente recondent.
Hæc verò ſolidæ qvis nuncia læta ſalutis
Spargenti credit? qvis munera tanta Tonantis
Miratur? Tenebræ cæciſſima pectora cingunt.
Ut patefacta DEI promiſſio, cognita nulli,
Spernatur, capiunt noſtræ nec talia mentes,
Nemo ſalutiferam hanc doctrinam mente reponit.
Et veluti profert interdum terra liqvoris
Expers virgultum, terra ſitienteqve radix
Protrudit ramum, de qvo ſpes nulla futuræ
Arboris eſſe poteſt? ſic Christus virgine pura
Naſcitur Iſai veteri de ſtemmate, de qvo
Non ſpes ulla fuit, qvòd nil regale tenebat.
Huic nec erat ſpecies oculis laudata ſuperbis,
Non decor ullus in hoc, non forma probabilis usqvā
Adfuit, hunc poſtqvam viderunt lumina noſtra,
Horruimus, ſiqvidem populo deſpectus ab omni,
Opprobrium cunctis & pondus inutile terræ

Creditus: & noſtros [res eſt indigna] dolores
Suſtinuit, tanto cunctis deſpectior, unde
Non aliqvo dignus ſaltem eſt reputatus honore
Qvisqvis ab illius dimovit lumine vultum.
Ipſe tulit verè langvores, ipſe dolores
Suſtinuit noſtros, noſtro pro crimine ſolus
Æterno ſolvit juſtiſſima λύτρα Parenti.
Nos verò à Domino Cœli, qvi ſidera torquet,
Abjectum, veluti lepram, reputavimus illum,
Deſertum & miſera preſſum ratione: ſed ecce,
Crimina ob humani generis miſeranda nefandam,
Non meritus, mortem per triſtia vulnera obivit.
Crimine qvin noſtro qvicqvid deliqvimus ipſi,
Ille luit, ſoli Deus hoc imponit, & omnem
Infligit pœnam: ſic nos evadere tuti
Poſſumus, illius purgati ſangvine, pacem
Cumqve Deo placidam hac nobis ratione paravit,
Vulneribusqve ſuis ſanavit vulnera noſtra,
Qvæ Satanas nobis per lapſum inflixit Adami.
Nos miſeri ſtolidis errantes paſſibus omnes
Ibamus, veluti grege cum paſtore relicto,
Mitis ovis, deſerta petens loca, dilanianda
Incidit in rictum, gratiſſima præda, luporum.
Sed Deus in Christum conjecit ubiqve malorum,
Qvicqvid vel meriti fueramus crimine noſtro,
Noſtraqve cum meritis portavit crimina pœnis.
Et crucis ipſe volens cùm mactaretur ad aram,
Sponte voluntati cœleſtis ubiqve Parentis

Seſe

Seſe ſubmiſit, diſcrimina nulla repellens.
Sicut ovis placidè nullo clamore recuſat,
Enſe recidendum penitùs ſubmittere collum,
Mactanda extructam qvæ jam raptatur ad aram,
Et facilem ſeſe tondenti præbet ut agnus,
Osqve ſuum claudit, nec murmure pellit inani
Poſcentem lanas, placidè ſic CHRISTUS ad aram
Mactandus pergit, patienter & omnia ſuffert
Ora nec impatiens in murmura ſæva reſolvit.
Poſt ubi non merita placavit morte Parentem,
Judicio triſti, mortisqve è jure ſuperbo
Sublatus, redivivus agit poſt fata triumfum,
Ecqvis & illius numerabit tempora vitæ?
Qvis numerum annorum? quis longaqve ſecula partæ
Comprendet vitæ? Regni ſine fine tenebit
Sceptra tremenda ſui nullis peritura diebus.
E medio numero viventem ereptus, iniqvæ
Triſtia jura fuit mortis compulſus obire,
Propter iniqva meæ percusſus crimina plebis.
Sicut & indigna ſuccedunt morte Tyranni
Terræ, ſic miſerè poſt triſtia fata ſepulchro
Conditur, interitum deformem paſſus iniqvo
Judicio addictus, terræ ſine crimine mortis.
Qvamvis innocuam vitam ſine labe peregit,
Et dolus haud qvaqvam eſt illius in ore repertus.
Nullus amor ſcelerum, peccandi nulla cupido,
Verùm prompta fuit juſſis parere voluntas.

Divi-

Divinis, vitam fœdo ſine crimine puram
Traduxit, vitæ maculis non oblitus ullis.
Sed tamen illa fuit Patris reverenda voluntas
Tam miſerè infandæ Chriſtum ſuccumbere morti
Paruit is Patrisqve gravi ſe ſubdidit iræ,
Suppliciumqve tulit pro noſtro crimine acerbum.
Poſt animam propriam cum morti tradidit ultro,
Et ſic cœleſti perſolvit λύτρα Parenti,
(Qvæ nos peccatis meriti perſolvere pœnis
Æternis docuit, longævo ſemine dives,
Munera percipiet cœleſtis ſplendida vitæ,
Regnaqve ſiderei Cœli commiſſa tenebit,
Imperioqve reget Cœlum Terramqve potenti
Perqve manum ipſius Domini propenſa voluntas
(Qva genus humanum peccati mole gravatum
Vult redimi, interitus mortisqve tyrannide ſolvi)
Perficietur, & hæc CHRISTO victoria parta eſt.
Miſſus in hunc mundum funeſtam tollere mortem
Solvere & imperium Stygii infernale Draconis
Et patriæ cœleſti homines, & reddere vitæ.
Hæc ita perpeſſus CHRISTUS, triſtesqve dolores,
Poſtqvam anima & totô laceratus corpore, tanto
Suſtinuit placidè cruciatus, morte reſurgens
Devictâ, rapiet lætiſſima gaudia vitæ.
Propulſisqve ſuis lætabitur hoſtibus, atqve
Diſtribuet pleno gratiſſima gaudia cornu,
Læticiæ nec finis erit, nec meta paratæ.
Qvin etiam meus hic ſervus juſtiſſimus unus,

Noti

Notitiâ efficiet verâ meritiqve ſuiqve,
Ut juſti reputentur ii, qvi pectore fido,
Illius in meritum dubia non mente recumbunt.
Omnium enim noſtrûm portavit crimina, & in ſe.
Derivans iram cœleſtis ſponte Parentis,
Perſolvit meritam noſtro pro crimine pœnam.
Ipſi qvocirca pleniſſima munera prædæ
Diſtribuam, & faciam exhauſto ſpolia ampla labore,
Ut ferat inſignes bellô pugnâqve valentes,
Hosqve ſub imperii cogat qvò jura tremenda.
Ipſe ſui, qvoniam nolunt parere rebelles.
Succumbent ergo, qvantumvis ante feroces.
Hic regni ut ſolus placidas moderetur habenas.
Idq; adeò, qvoniam pulchram per vulnera mortem
Oppetiit, portans totius crimina mundi,
Et ſceleratorum turbæ annumeratus, iniqvo
Judicio oppreſſus, patiens effuſa furoris,
Flumina divini excepit mortemqve ſubivit.
Et ſic multorum peccatis, criminis expers,
Sublatis in ſe, pœnas cum crimine ſolvit.
Deniqve jam moriens, anima expirante, Parenti
Seſe commendans, pro ſontibus ipſe rogavit.
Tam placidum nobis, tam propitiumqve Parentem
Reddidit æternum, facilemqve in vita precantum.

CECINI.

MC

Digitized by Google

Digitized by Google